

*Placatus est Dominus
ne faceret malum quod locutus fuerat.*

Lectio libri Exodi

32, 7-11. 13-14

In diébus illis:

- ⁷ **L**ocutus est Dominus ad Móysen dicens:
«Vade, descénde;
peccávit pópulus tuus, quem eduxísti de terra Ægýpti.
- ⁸ Recessérunt cito de via, quam præcépi eis,
fecerúntque sibi vítulum conflátilem et adoravérunt
atque immolántes ei hóstias dixerunt:
“Isti sunt dii tui, Israel,
qui te eduxérunt de terra Ægýpti!”».
- ⁹ Rursúmque ait Dóminus ad Móysen:
«Cerno quod pópulus iste duræ cervícis sit;
- ¹⁰ dimítte me, ut irascátur furor meus contra eos
et déleam eos faciámque te in gentem magnam».
- ¹¹ Móyses autem orábat Dóminum Deum suum dicens:
«Cur, Dómine, iráscitur furor tuus
contra pópulum tuum,
quem eduxísti de terra Ægýpti
in fortitúdine magna et in manu robústa?
- [12]
- ¹³ Recordáre Abraham, Isaac et Israel servórum tuórum,
quibus iurásti per temetípsum dicens:
“Multiplicábo semen vestrum sicut stellas cæli;
et univérsam terram hanc, de qua locutus sum,
dabo sémini vestro,
et possidébitis eam semper”».
- ¹⁴ Placátusque est Dóminus,
ne fáceret malum,
quod locutus fúerat advérsus pópulum suum.
- Verbum Dómini.